UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Iosephi Vicecomitis Ambrosiani Collegii Doctoris Observationes Ecclesiasticæ In quo [!] de Antiquis Baptismi Ritibus, ac Cæremonijs agitur

Visconti, Giuseppe

Parisii, 1618

Cap. 11. Tam adultos, quam infantes & etiam mulieres, ac infirmos, & qui carcere inclusi erant, nuditatis legi subiectos fuisse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64585

Visual Library

appoſitum fuiſſe, falſum eſt. Quare ad [illegible] gendi licentiam hæc referre oportet, quæ [illegible] fectæ nuditatis veritati minime repugnat.

Tam adultos, quam infantes, & etiam mulier[illegible] infirmos, & qui carcere incluſi erant, nuditatis legi ſubiectos fuiſſe.

CAP. XI.

ATque, vt intelligant homines, qua[illegible] ſtudio, atque curæ veteribus hæc co[illegible] ſuetudo fuerit, nullus omnino ſexus, nulla [illegible] minum ætas, aut conditio ab ea immunis [illegible] vacua erat. Etenim ſi ab adultis ordi[illegible] præter Conſtantini Magni exemplum [illegible] meone, & Aproniani, & Lucilli ex Laure[illegible] Surio ſupra allatum, & innumera alia loca [illegible] legentibus facile occurrent, etiam Baſiliu[illegible] gnus Cæſaræ, & Cappadociæ Epiſcopus, [illegible] veſte, ſacro baptiſmate luſtratus fuit, cum [illegible] vrbem Hieroſolymam ſimul cum Eubulo [illegible] ligionis cauſa perueniſſet. Ita enim Amph[illegible] chius in vita ipſius ſcribit: *Surgenſque cum [illegible] more, ſuis ſe veſtibus ſpoliat, vnaque cum illis [illegible] terem exuit hominem, deſcendenſque in aquas, [illegible] bas, vna autem etiam ſacerdos deſcendit, eumq[illegible] baptizauit.* Si vero infantes intueri, & num[illegible] rare velimus: en Ordinis Romani teſtimoni[illegible] cap. de ſabb. S. Paſchæ: *Pontifex ergo egrediens [illegible] fonte in ſacrarium, habens ibi compoſitam ſedem, [illegible]*

Nudi baptizabantur etiã adulti.

Infantes nudi baptizabantur.

in Eccleſia, vbi voluerit, & ſedeat in ea, &, cum ipſius fuerint infantes, confirmet eos. Ex eo enim, quod poſt baptiſmum veſtibus induebantur, iam ante monuimus inferri, in baptiſmo nudos fuiſſe. Ipſas etiam mulieres ad baptiſmum nudas acceſſiſſe, ex veterũ monumentis colligi poteſt. Nam Iobia Saporis Regis filia eo habitu a Cyriaco Diacono baptiſmi munus accepit: cum prius ab eo à cacodæmonis vexatione exorciſmis liberata fuiſſet, ſcribente Surio in vita S. Marcelli Papæ, quam ex antiquis Ms. collegit: *& fecit eam catechumenam more ſolito, & catechizauit eam: &, allata aqua, depoſuit eam nudam in concham argenteam.* S. vero Athanaſius Epiſt. ad vbique Orthodox. diſſerens de molis, quibus Arianorum ſuaſione Gentiles ac Iudæi Eccleſiam, atque baptiſterium onerauerant, inquit: *vidiſſes in ſacrum baptiſterium (proh ſuperi) Chriſticidas Iudeos, & Atheos Ethnicos nulla cum reuerentia ingreſſos, eam verborum, factorumque turpitudinem nudatis corporibus deſignare, vt pudendum, abominandumque ſit relatu.* quæ ſane verba ad mulierũ nuditatem in baptiſmo pertinere, certum eſſe debet: cum illi contemptores humani iuris, & diuini, omnes animi libidines exſaturare contenderent. Et S. Ioannes Chryſoſtomus Epiſt. ad Innoc. Papam, quæ in vita ipſius per Palladium ſcripta circunfertur, narrans trepidationẽ, & tumultũ, quem Theophilus Alexandriæ Epiſcopus ciuit, vt ipſum ab Eccleſia eiiceret, innumeras mulieres, quæ ſacroſancti Paſchatis peruigilio ad baptiſmũ in Eccleſiam conuenerant, multitudine, & furore

Mulieres nudæ baptizabantur.

Iudæorum, & Gentilium licentia in mulieres Chriſtianas.

militum irrumpentium perterritas, ſine veſt
aufugiſſe, docet his verbis: *quomodo iam, quæ ſe-
quuntur, exponam, omnem excedentia tragœdiam?
nobis enim hæc ipſa, quæ antea dixi, prætendentibus,
repente multitudo militum, ipſo magno ſabbato, cum
iam in veſperam vergeret dies, Eccleſias ingreſſi, cle-
rum omnem, qui nobiſcum erat, per vim ejecerunt,
armiſque veneranda obſidebantur altaria: Mulieres
quæ intra Eccleſiam, vt baptizarẽtur, ſeſe veſte nuda-
uerant, per id tẽporis nudæ fugiebant, metu atrociſſi-
mæ huius commotionis impulſæ; neque ſexus vere-
cundiæ, & honeſtati permittebantur pre pauore
conſulere.* In quinta etiam Synodo Conſtanti-
nopolitana Act. I. Stephani cuiuſdam ſenten-
tia contra Petrum Apamearum Epiſcopum re-
fertur, quæ ſic habet: *cum eſſemus in baptiſterio
neophytiſtarum, ſine tunicis, & calceamentis exiſten-
tium, venit Epiſcopus*, &c. Vbi licet nuditatis
nulla mentio fiat; tamen ea ex tunicæ, & cal-
ceorum depoſitione colligi poteſt. Quin &
Ioannes Moſcus in ſuo Prat. Spirit. de vita Co-
nonis presbyteri clarè demonſtrat, ei cauſam
offenſionis fuiſſe, quoties mulierem nudam
in baptiſmo perungeret: atque inde factum,
vt maximam de ſe admirationem apud om-
nes, ſed præſertim loci Epiſcopum excitaret:
presbyter quidam, inquit, *erat ad baptiſmi miniſte-
rium, Conon nomine, Alexandrinus genere, quem pro
vitæ merito Patres iuſſerant, vt baptizaret acceden-
tes; ipſe igitur ſancto chriſmate vngebat, & bapti-
zabat eos, qui ad hoc veniebant; quoties ergo mulierem
inũngeret, ſcandalizabatur, atq; ideo ex monaſterio
abſcedere volebat. quadã die venit puella ex Perſide,*

et baptizaretur, quæ ita ſpecioſa erat, ac tãtæ pulchritudinis, vt non poſſet presbyter nudam eam ſacro oleo inungere. Quare ſi honeſtas, & verecundia mulieres ſacro oleo nudas inungi, minimè prohibent: nec, eaſdem nudas baptiſmo initiatas fuiſſe, propter ſexus verecundiam, negare debemus: præcipuè cum recepta ita baptizandi conſuetudo obtineret, ac chriſmalis vnctio ſtatim ipſam merſionem ſequeretur. Plura etiã & multo maiora, quæ de nuditate ſcriberem, mihi occurrunt. Nam & qui in carcere ſacro lauacro tingebantur, cum valde timendum eſſet, ne temporis mora, perſecutione ſæuiente, aliquid detrimenti afferret, omni virium, atq; animi contentione veſtes extrahere conabantur. Sicut fecit Apronianus, cum a Siſinnio diacono baptizatus eſt: de quo apud Surium in vita S. Marcelli Papæ: *depoſuit eum nudum in peluim:* & S. Laurentius Archileuita, dum Lucillum aquæ ſalutari admoueret: vt eſt apud eundem Surium in vita eiuſdem: *benedixitque aquam, &, cum expoliaſſet eum, fudit ſuper caput eius.* Et vero etiam infirmi, ac debiles, qui vario morbi genere affictabantur, aut vrgente vi morbi, non procul aberant à fine, ſi fortè occulto ſancti Spiritus hortatu, & impulſu, in Chriſtianam militiam nomen dare voluiſſent, etiam ſi tunc temporis indutos eſſe contigiſſet, poſthabito doloris, aut vicinioris mortis periculo, nudi in aquam mergebantur, quemadmodum antiqui Ms. codices de geſtis S. Sebaſtiani apud Surium docent. Quos ego libros citaui, vt narratio rei admirabilis fide non ca-

Baptizabã-tur nudi etiam in carcere.

Baptizabã-tur nudi etiam infirmi, ac debiles.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

reat. Neque enim ij ſunt, in quos mendacij ſu-
ſpicio cadere poſsit, cum à Romanæ Eccleſiæ
Notariis, qui præſentes quodammodo rebus
ipſis affuerunt, diligenter, conſcripti fuerint.
In iis igitur Tranquillinus, apud falſæ religio-
nis cultores vir inſignis, cum pedũ, manuum-
que dolore, omnibus membris veluti arctiſſi-
mo vinculo aſtrictis, magnopere diſtrahere-
tur, à Sancto Polycarpo nudus baptizari vo-
luit, quemadmodum verba Geſtorum indicãt:
poſt hos autem infantulos Tranquillinus adductus,
adeo podagra, & chiragra conſtrictus, vt vix mani-
bus portaretur. Hunc cum exuerent indumentis, &
ille intolerabili ſe diceret torqueri dolore, interrogat
eum Polycarpus presbyter, num ex toto corde crede-
ret, vnigenitum Filium Dei, Dominum noſtrum Ie-
ſum Chriſtum poſſe ipſi ſalutem conferre. Statim-
vt reſpondit, credo, reſolutæ ſunt manus eius, quæ e-
rant nodoſæ: & genua ſimul, plantæque pedum e-
ita ſunt incolumes redditæ, vt velut paruulus re-
natis pedibus ſuis in fontem deſcenderet. Nec mi-
nor fides Ioanni Moſco habenda eſt, apud quẽ
vir Hebræus, cum per Eremum iter haberet,
in morbum incidit, ex quo ei neceſſario de-
cedendum è vita erat. Itaque in ſumma cor-
poris ſalutis deſperatione, ſollicitus de ſalute
animæ, à duobus Chriſtianis, quos itineris co-
mites habuerat, ſacroſanctum baptiſma flagi-
tauit. quod quanquam illi, materia deficiente,
diu negauerunt, tamen alter diuino ſpiritu af-
flatus (vt ei in lecto decumbenti, iamque mo-
rituro ſocij veſtem extraxerunt) ſancto ablu-
tionis ſacramento illum ad filiorum Dei conſ-

aggregauit. Sic enim ſcribit; *cum ergo in magna hæſitatione eſſemus, induſtrius ille, diuinitus inſpiratus, ait nobis, erigite illum, & exuite. ereximus itaq; cum magno labore illum, erectumque tenentes exuimus. Induſtrius autem ille implens ambas manus ſuas arena, tertio effudit ſuper caput eius, dicens ita: baptizatur*, &c. quod à Nicephoro quoq; Calliſto traditum eſt lib. 3. hiſtor. Eccleſ. cap. 37. his verbis: *illi itaque detractis homini veſtibus, arena, quæ ibi erat, pro aqua vſi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, tertium arena in eum coniecta, baptizarunt.* Neque vero hæc teſtimonia adduxi, quaſi illud verum baptiſma fuiſſe, cuiquam perſuaderi velim. Certum enim eſt, ſine aqua baptiſmum confici non poſſe. Verumtamen, cum illi, verè baptiſmum agere, ac ſtatas cæremonias obſeruare, in animo fuerit, ſicut ex contextus ſerie, & ipſa triplici effuſione colligitur: quanquam opinione falſus eſt, tamen ex recepta conſuetudine Hebræum exuiſſe, contendo.

Cur nudi baptizarentur.

CAP. XII.

Nuditas in baptiſmo ſignificabat veteris hominis depoſitionẽ.

QVod facilius omnes intelligent, ſi cauſas, quare nudi abluerentur, mecum attentè conſiderarint. Plures autem numerari poſſunt: quarum prima eſt, veteris hominis, hoc eſt, impuritatis vltro conceptæ, & peccati naturę inſiti depoſitio. Siquidem miſerum homi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN